Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1489
Quelle:
Copyright:

ſtratio compendioſa, dari in Hollandia e Clero Nouatores, ac imprimis Janſeniſtas. Scripta eſt, ut in calce liquet, anno 1690. abitque in II. *Sectiones*, quarum Argumenta, ut *fol. 33.* recolliguntur, hic adſcribam. *Argumenta prioris §. Dantur in Hollandia e Clero 1°. qui adferunt dogmata noua. 2°. qui utuntur Scriptura noua. 3°. qui invehunt Catechiſmos nouos. 4°. qui adminiſtrant Sacramentum poenitentiae juxta methodum nouam. 5°. qui adminiſtrant Sacramenta ritu nouo. 6°. qui creant paſſim commotiones nouas. Argumenta poſterioris §. Dantur in Hollandia e Clero 1°. qui dogmata tenent cum Janſenio communia. 2°. qui fabricant interpretationes ſubdolas, ut Janſenii doctrinas cenſuris ſubducant. 3°. qui Formulae pontificiae pro ejurando Janſeniſmo ſubſcribere detrectant. 4°. qui ducem ſequuntur Janſeniſtarum principem Arnaldum. 5°. qui non niſi merum phantaſma aſſerunt eſſe Janſeniſmum. 6°. qui Louanii a Janſeniſtis Profeſſoribus janſeniſtice tincti ſunt.* Multa in his ſingularia et curioſa ad famoſas illas turbas. Additur ſub finem *Elenchus praecipuorum librorum, qui a Theologis Hollandis de grege Janſeniſtarum nuper editi, ac praecipue per Hollandiam ſparſi ſunt.* Sunt vero ſequentes: *De Catholyke Ouerwinnende Waerheydt Caroli de Bont*, et *Algemeen Afbeeltzel* &c. *Ignat. Eykenboom.* 1684. *Regbtmaetigh Onderſcheyd des Catholyken Geloofs Car. de Bont.* 1684. *Beſchermingh van de Romſche Kerck* autore *B. P.* 1686. *Kort begryp van de chriſtelyke Leer, nopende de Verkieſingh en Genade Gods* autore *G. L. M.* 1688. *Gods woord verdedight* ſ. Aut. 1685. *Beweirde Vryheyd* aut. *A. A. P. L. D. G.* Nova Verſio Flandrica IV. *Evangeliorum* ſ. Aut. 1689. *Chriſtelycke Ouerwegingen* aut. *G. B.* 1687. *Chriſtelyke Onderwyſingen en Gebeden* ſ. Aut. 1685. *Kort bondigh bewys van dat 'er in Holland geen Secte van Janſeniſten is* aut. *C. O. C.* 1688. *Het Geſchrifft van onſen allerheyligſten Vader Clemens* VIII. ſ. Aut. 1689. *Brevis Tractatus de Indulgentiis et Jubilaeo Hugonis Fr. van Huiſsen* 1690. In ſingulos hos Libellos virga cenſoria animadvertitur.

DCXLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. X-VII. Folior. 42. 4. hunc Titulum praefert: *De Pace Religionis M. Antonii de Dominis Archiep. Spalatenſis Epiſtola ad venerabilem virum Joſephum Hallum Archipresbiterum Wigorniensem. In qua ſui etiam ex Anglia proximi diſceſſus idem Author rationem reddit: Quaeſita quoque Regia ſibi diſceſſuro facta, ſuasque ad ea reſponſiones refert, Et ab ipſo Hallo increpationes acceptas rejicit. Qui pacis ineunt conſilia, ſequitur eos gaudium.* Prov. 12. 20. Ita Pacem Eccleſiae nunc obtendit Vir *levior cortice et* ſuo *iracundior Hadria* prius alia longe in *Romam Londini* debacchatus. Agit de illo, H. 20